

Imperii in Græciam translata , quæ novas Juris mutationes induxerit , tum ob imperitiam Triboniani & sociorum , ubi expendit Triboniani avaritiam , publicumque condendi & abrogandi leges mercatum , ut non abiret dies , quin legem figeret , prout privato cuidam expedire videret . Ostendit deinde , quod non minor Justiniani iniqüitas , infelicitas temporum quibus bonæ literæ in Græcia extinctæ & Juris Romani prudentia diluvio barbariei Gothicæ sepulta esset ; Insititia item sedecim compilatorum , videlicet Græculorum , & ineptias suas in præfationibus Pandectarum & Codicis satis exponentium ; in super præcipitantia in duobus millibus confusorum Voluminum , brevissimo triennii spacio , instar eorum , quæ per cucurbitulam eliquantur , exstillandis &c. imprudentiam Jurisprudentiæ Justinianeæ ad oculum demonstrent .

*Cap. 12*, pressius exponuntur desiderata in labore Triboniani , puta quod leges , edicta , scripta supprimi & aboliri curaverit , & centontes tantum commentariorum reliquerit , non melius , ac si quis loco Homeri & Virgili Eustathii & Servii Commentarios offerret . Deinde , quod omnes libros magnorum & vere Romanorum jCtorum , Catonum , Mutiorum , Manilii , Cascellii , Serv. Sulpitii suppresserit ,